



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 5. Idem amor Christi in Eucharistia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

atrahit, colligit, & ut ita dicam, complicat omnes potentias illis in gremio suæ dulcedinis plusquam maternæ. Deinde ardens amor comprimit animam, & altringit super suavitatis suæ labia, & super ubera omnibus deliciis affluentia: deoculans sacrò oris sui osculò dat suas mammillas, vix quòvis meliores degulandas, ac fugendâs. St. Francisc. Sal. de div. om. l. 7. cap. 1.

## §. V.

## Idem Amor Christi in Eucharistia.

*Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. 1. Inebriamini, id est, satiamini. Pro charissimi Hebr. Dodim, amores, id est, fumus dilecti, & quasi ad ubera passi. Possit quòque Dodim accipi in ablativo; ut veritas, inebriamini amoribus, vel uberibus. Per amicos & Charissimos, S. Gregor. & alii, intelligunt quoslibet Fideles & iustos, qui hic invitantur à Christo ad Eucharistia synaxim: illa enim suò spirituali gustu, & dulcedine, quasi inebriat animam, ut omnium oblita, non nisi Christum cogitet, & amet. Corn. à Lap. hic.

*Lac consupsistite.* 1. Petri. 2. 2. Quodnam hoc lac? Clem. Alex. 1. pædag. c. 6. per lac verbale, (sic enim ipse verit) accipit Verbum incarnatum. Alii per lac accipiunt Eucharistiam Id. hic.

Quasi infantibus, ille qui erat Panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstitit, quod erat secundum hominem ejus adventus, ut quasi à mamilla carnis ejus enutriti, & per talem lactationem assueti manducare, & bibere Verbum Dei, & eum, qui est immortalitatis panis, qui est spiritus Patris, in nobis ipsis eum continere possimus. S. Irenæus l. 1. c. 74.

Non videtis, quantâ infantibus animi alacritate, mammillas arripiunt, quâ pressione papillis insunt labia? Non minore cupiditate nos quòque ad hanc mensam, & ad hujus calicis spirituales accedamus papillam; imò verò majore desiderio, quasi lactentes pueri, gratiam spiritus fugamus. Unus fit nobis dolor, una molestia; si hoc alimentò spirituali privemur. S. Chrysost. in Matt. hom. 83. in Matth. 23.

Quasi infantibus ille, qui erat Panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstitit, quod erat secundum hominem ejus Adventus: ut quasi à mamilla carnis ejus enutriti, ac per talem lactationem assueti, manducare, & bibere, Verbum Dei; & eum, qui est immortalis panis, qui est spiritus Patris, in nobis ipsis eum continere possimus. S. Irenæus l. 4. c. 74.

## §. V.

## Idem Amor Christi in Passione, &amp; Cruce.

## Ex Veteri, &amp; Novo.

*De utero tuo.* Gen. 15. 4. Omnes fideles nati sunt de utero Christi: quia eos per Passionem in Cruce peperit, cum de latere ejus sanguis nostræ redemptionis, & aqua

nostræ ablutionis, exivit. Hugo Cardinal. hic.

*Collidebantur in utero ejus parvuli.* Gen. 25. 22. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Matth. 27. 38. Videtur mihi Crucifixus, Rebecca non ablimilis, qui in suprema illa lucta doloris, ut parturientis Elau simul, & Jacob, patitur in suo utero charitatis colluctantes. Dum enim alter è latronibus Christum blasphemantem increpat; planè fratrum lucta instauratur. Sed Christi eo, non suâ sed nostrâ sterilitate, infecundior partus, quàm Rebecca; quod illa ambos in lucem edit, Christo verò, ex geminis alter ad gehennam, alter ad regnum nascitur. Porro Rebecca semel pertulit in fœcu luctam; Christus verò semper passus est improborum cum probis, pro se, & contra se, concertantium certamen. Oliv. l. 10. Strom. hic.

*In me fit ista maledictio.* Gen. 27. 13. S. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 53. Rebecca Apostolicâ, ut sic loquar, animi magnitudine, prædita, imprecationem suscipere minimè dubitavit; ut ipsius filius benedictionem consequeretur. Atque bonis quidem ipsi cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata erat, dicens: *in me fit ista maledictio, fiti mi.* Ecce Crucifixi plusquam maternam charitatem; qui in cruce extensus, & confossus; pro nobis maledictum factus, imprecationem suscipere non dubitavit. Atque bona quidem discipulis, & omnibus hominibus, cedebat; mala autem, dolores, opprobria ipse solus sustinuit. Did. Baeza l. 1. cap. 9. §. 10.

*Expandi manus meas.* Ps. 142. 6. Extendit manus in cruce ad amplectendum nos; & ut nos ipsum amplectamur in amore, sicut mater extendit brachia sua, ut puer ad eam amplectendam veniat. Hugo Cardin. in Psalm. 77.

*Cerva charissima.* Proverb. 5. 19. Christus assimilatur cervæ propter modum parienti: incurvatur enim cervæ, ut pariat Job. 39. 3. Sic Christus, ut pareret nos DEO Patri, incurvavit se, id est, humiliavit, *formam servi accipiens*, usque ad mortem Crucis. Id. hic.

*Sub arbore malo suscitavi te.* Cant. 8. 5. Septuag. Arab. & alii ex Hebræo vertunt: *ibi magnò dolore, & cruciatu, parturivi te mater tua.* Aptè Titelmannus sic exponit: In Cruce CHRISTI materna pietas, & misericordia, quasi mater puerpera, te parturivi immensò cruciatu. Cornel. à Lapid. hic.

*Qui portamini à meo utero.* Is. 46. 3. Nota familiariter se dicit Christus Matrem: peperit enim nos cum dolore magno, in lecto duro factis, id est, in Cruce. Est ergo Christus mater: nihilominus est & Pater; sed Pater creando ex nihilo, mater pariendo in dolore. Hugo Card. in Gen. c. 15. v. 4.

*Mulier, cum parit, tristitiam habet.* Jo. 16. 21. Appositè Christus Passionis, & mortis suæ tempus comparat parturitioni, resurrectionem verò gaudio post partum. Christus enim in Passione cruciatus fuit doloribus, & angoribus.